



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XIII. Aliquæ difficultates de merito condigno primæ gloriæ proponuntur, & explicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

etiam ex hoc gratiae augmento dignificari eandem contritionem ad aliud augmentum gratiae, & gloriae, & ex hoc ad aliud, sicque in infinitum, ac proinde unam, & eandem contritionem esse infinite meritoriam de condigno, eique infinitum praemium correspondere, quod implicat, ut supra diximus n. 216.

240. Advertes tamen, licet contritio in instanti, quo elicitur, non possit dignificari a gratia subsequente in ordine ad promerendam ipsam primam gratiam, & primam gloriam ei correspondentem, nihilominus si homo perseveraverit pro sequenti instanti in ipsa contritione, posse tunc ipsam contritionem ut conservatam in secundo instanti dignificari ab ipsa prima gratia ad promerendum augmentum gratiae, & gloriae; siquidem prima gratia prout sic non subsequitur, sed antecedit contritionem ut conservatam, informat enim, ac dignificat hominem ut principium saltem morale talis conservationis, utpotè quae independenter à conservatione contritionis existit anteceder in subiecto: nunquam tamen prima gratia, neque in secundo instanti dignificabit contritionem in ordine ad primam gloriam obtinendam; siquidem haec, ut diximus, jam supponitur decreta ut haereditas.

241. Argues 5. Contritioni disponenti ad justificationem competunt omnes conditiones necessariae ad meritum condignum primae gloriae; siquidem est opus bonum hominis viatoris, liberum, supernaturale, & informatum gratia justificante, quae cum moraliter unitur in eo instanti; ergo &c. Respondeo negando antecedens; adhuc enim ei deficit: Primò, procedere ab homine jam justificato, sive à gratia habituali antecedente, quod esse necessarium ad meritum condignū diximus supra d. 3. à n. 371. Secundò, non esse connexam cum prima gloria alio titulo, quam meritorio; est autem connexa cum illa, ut haereditate, prout supra diximus.

242. Argues 6. Ex D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 2. ad 1. ibi: *Preparatio hominis, ait, ad gratiam habendam, quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae. Et talis operatio est quidem meritoria; sed non gratia, quae jam habetur, sed gloria, quae nondum habetur.* Ubi meritum, utique condignum, quod negat preparationi gratiae respectu ipsius gratiae, concedit eidem respectu gloriae. Idem videtur habere 1. p. q. 62. art. 4. Corpore, & q. 62. art. 5. ad 2. & 4. dum asserit, Angelos in primo instanti meruisse suam beatitudinem essentialem; ergo &c. Respondeo primò D. Thom. solum voluisse assignare discrimen inter gratiam, & gloriam, ut illa potius, quam ista remotior sit à ratione praemii actus disponentis ad justificationem, quatenus gratia suapte naturā supponitur ad meritum, tanquam principium meriti, & non ita supponitur gloria, & ob hanc rationem remotior est à merito condigno gratia, quam gloria, & admittit comparativè ad gratiam, aptiorem merito esse gloriam.

243. Respondeo secundò D. Thom. differuisse de actu elicto in instanti justificationis pro posteriori naturae ad infusionem gratiae, qui ex natura rei potest esse meritorius primae gloriae, cum gloria possit solo titulo meriti decerni. Undè praeter actum, qui antecedit, & disponit ad primam justificationem, & à gratia habituali non procedit, potest fieri alius actus in eodem instanti temporis subsequens ipsam justificationem, & à gratia procedens, cui meritum condignum gloriae tribuatur: quem actum D. Thom. vocat preparationem ad gratiam habendam, aut quia in eodem instanti preparationis existit; aut quia re ipsa ad eius aug-

mentum disponit, & simul primam gloriam simul cum ipsius augmento meretur, quantum est ex se; siquidem posset propter eius valorem retribui, si à Deo seorsim à merito non esset decreta, ut haereditas.

SECTIO XIII.

Aliqua difficultates de merito condigno primae gloriae proponuntur, & explicantur.

DIFFICULTAS 1. Utrum saltem contritio continuata post primum instans justificationis, mereatur de condigno primam gloriam in secundo instanti? Negative. Ita P. Ripal. tom. 2. d. 89. sect. 3. num. 14 contra P. Bellarm. P. Valent. P. Tanner. & alios supra cit. Probatur facile ex supra dictis, quia quod aliis est debitum, & annexum merenti seorsim à merito, non potest esse praemium operis; sed prima gloria est debita, & annexa merenti titulo haereditatis ratione primae gratiae in primo instanti justificationis collatae; ergo non potest deberi, sive mereri de condigno etiam per contritionem illam continuatam.

245. Difficultas 2. Utrum actus virtutis concomitans primam justificationem mereatur primam gloriam de condigno? Advertes, posse contingere, ut quis justificatus, praeter contritionem, aut attritionem (de qua infra) disponentem ad primam justificationem, eliciat actum religionis, aut alterius virtutis in eodem instanti, qui ad justificationem non disponat, informetur tamen gratia illius instantis, & de hoc dubitatur in praesenti; An per illum mereatur de condigno primam gloriam? Affirmant P. Vasq. & P. Merat. supra.

246. Negandum tamen sentio consequenter cum P. Ripal. cit. num. 16. Probatur, quia prima gloria, ut diximus, est annexa, & debita titulo haereditatis primae gratiae habituali seorsim à merito illius actus; ergo talis actus, aut solum meretur augmentum gloriae, sicut & gratiae, aut nullum praemium ei de condigno respondet. Confirmatur ex supra dictis d. 3. à num. 386. ubi soli gratiae justificanti antecedenti, non verò comitanti tantum tribuimus vim dignificandi, & augendi valorem condignum operis; ergo &c. Advertes tamen secus dicendum de actu, qui in eo instanti subsequeretur justificationem, & à gratia habituali procederet; siquidem talis actus mereretur augmentum gratiae, & gloriae, cum nulla ei conditio deficeret ad tale meritum necessaria.

247. Difficultas 3. Utrum gratia possit cadere sub meritum condignum seorsim à gloria: & gloria etiam seorsim à gratia? Affirmativè. Ita P. Ripal. tom. 2. d. 89. num. 17. & 18. Probatur prima pars, quia ut gratia justificanti infallibiliter conjugatur gloria, requiritur novus Dei favor; potest enim ex natura rei concedi gratia absque gloria futura; ergo potest gratia, sive prima, sive secunda rependi ex merito condigno, quin gloria, sive prima, sive secunda rependatur; licet id modò ex lege, & providentiā Dei speciali sit impossibile.

248. Probatur secunda pars, quia cum gloria non sit ex natura rei annexa gratiae, potest Deus gratiam conferre, aut omnino gratis absque praevia hominis dispositione, aut ex merito congruo talis dispositionis, & gloriam decernere solum ex merito ab homine jam justificato procedente, quin eam titulo

titulo hereditatis dispenset; siquidem cum id sit Deo voluntarium, & nulla ratione contrarium naturæ gratiæ, & gloriæ, bene potest Deus ad retributionem gloriæ exigere meritum condignum; ergo &c.

249. Difficultas 4. Utrum qui justificatur per Sacramentum cum sola attritione mereatur de condigno primam gloriam. Advertes, difficultatem posse procedere in duplici sensu: Primò, si in instanti justificationis non duret physicè ipsa attritio: Secundò, si adhuc physicè duret. Hoc posito.

250. Dico 1. Homo per attritionem physicè non existentem in instanti justificationis non potest mereri de condigno primam gloriam. Ita communissima omnium sententia, ut videre est apud *P. Arriagam* *tom. 4. d. 36. n. 4.* *P. Ripal.* *tom. 2. d. 89. num. 6.* & alios. Probatur, quia talis attritio, quando extitit, non fuit condignè meritoria primæ gloriæ; siquidem tunc homo erat in peccato; quando autem gratia est infusa, jam ipsa attritio non existit, ut supponimus, ut per illam dignificetur ad meritum condignum; ergo per illam non potuit homo mereri primam gloriam.

251. Dices: Licet attritio illa non existat physicè in instanti justificationis, existit tamen moraliter; sed existens moraliter perinde se habet in ordine ad disponendum pro effectu Sacramenti, ac si actu physicè existeret; ergo etiam sic poterit dignificari moraliter in ordine ad merendam primam gloriam. Respondeo primò, argumentum, si valeret, etiam probare, posse dici, omnes actus moraliter bonos peccatoris perseverare moraliter, ut postea, adveniente gratiâ, reddantur meritorii de condigno gloriæ, quod est absurdum, ut supra diximus.

252. Respondeo secundò negando consequentiam; diversa ratio est, quia perseverantia moralis in ordine ad effectum Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ idè sufficit, quia Christus Dominus in institutione horum Sacramentorum non postulavit, ut in instanti justificationis per Sacramentum existeret physicè attritio; tum quia hoc est moraliter impossibile: tum quia illa solum requiritur, ut tollat obicem peccati, saltem quoad rationem voluntarij; hoc autem optimè præstare potest perseverando tantum moraliter: at verò ut sit meritoria de condigno primæ gloriæ; debet perseverare physicè, quando datur gratia dignificans: tum id est ad diversum effectum præstandum: tum etiam debet dignificari à gratiâ physicè existente; gratia autem physicè existens non potest physicè dignificare actum non existentem physicè, sed solum moraliter.

253. Dico 2. Quando quis justificatur per Sacramentum cum attritione physicè perseverante in ipso instanti justificationis, per talem attritionem ut jam formatam per gratiam habitualement non meretur de condigno totam illam primam gloriam, quæ datur propter gratiam Sacramento respondentem: imò nihil illius gloriæ, quæ gratiæ Sacramentali respondet, cadit sub meritum condignum talis attritionis. Ita *P. Sgar.* *tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 28. num. 34.* & quoad primam partem *P. Arriaga cit. num. 41.*

254. Probatur 1. pars, quia attritio, utpotè actus imperfectus, non habet sufficientem proportionem ad totam illam gloriam; siquidem talis gloria respondet gratiæ; gradus autem gratiæ, qui ex opere operato respondent Sacramento, sunt semper ultra intensionem, & valorem dispositionis, ita ut si hæc sit valdè intensa, etiam tunc gratia respon-

dens Sacramento sit valde intensa; ergo semper ibi interveniet aliquis gradus gratiæ, consequenterque gloriæ ipsi gratiæ respondentis, ultra meritum condignum attritionis: (quod etiam dicendum est de contritione cum Sacramento;) ac proinde homo per talem attritionem non merebitur de condigno totam primam gloriam primæ gratiæ respondentem in Sacramento.

Probatur 2. pars, quia quando quis justificatur cum sola attritione per Sacramentum, non meretur, etiam de congruo, primam gratiam, quæ datur per Sacramentum, ut constabit ex infra dicendis; ergo neque merebitur de condigno primam gloriam illi gratiæ respondentem; nam sicut illa gratia non datur ullo modo intuitu talis actus, sed præcisè intuitu meritorum Christi; ita tota illa gloria non datur, ut corona justitiæ debita illi homini, sed solum ob merita Christi, sicut datur illa prima gratia, cui respondet.

Dices cum *P. Arriaga cit.* Attritio, etiam in peccatore, est meritoria de congruo primæ gratiæ; licet enim non habeat infallibilitatè cum illa, ut habet contritio, habet tamen ex se aliquam congruitatem cum aliquot ejus gradibus; ergo, accedente postea dignificatione gratiæ, poterit reddi condignè meritoria talium graduum. Respondeo negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, attritionem ex se non habere congruitatem cum aliquibus certis gradibus primæ gratiæ, cum sit actus improporionatus ad tantum præmium. Accedit, quod, licet illam ex se habeat, non acceptatur à Deo ad promerendam talem gratiam; siquidem hoc solum conceditur contritioni, cum sit actus perfectior, sicque attritio in peccatore recipiente Sacramentum, solum est dispositio tollens obicem peccati.

Instabis: Ex Trid. attritio impetrat gratiam in Sacramento; ergo Deus confert gratiam intuitu illius actus; ac proinde talis actus, ut jam informatus gratiâ, meretur de condigno primam gloriam. Confirmatur, quia ex eodem Trid. *sess. 6. cap. 7.* gratia justificans datur pro ratione dispositionis; hoc autem verum est etiam in justificatione, quæ fit virtute Sacramenti, & quoad illam gratiam, quæ datur ex opere operato, ut est communis Theologorum opinio apud *P. Sgar.* in Materia de Sacramentis; ergo talis gratia infunditur intuitu attritionis ut dispositionis, quod satis est, ut ipsa dispositio informat per gratiam mereatur de condigno primam gloriam.

Respondeo attritionem dici impetrare gratiam, non per specialem modum orationis, nec per proprium meritum de congruo, ut infra dicemus, sed quatenus, illa posita, ex lege Dei datur gratia, quod stare potest, etiam si conditio postulata ex parte Dei sit talis, ut non ejus intuitu detur gratia, sed solum intuitu promissionis divinæ, & meritorum Christi. Ad confirmationem patet ex dictis, dicendum enim est, attritionem non esse dispositionem ex se proportionatam effectui, sed ex lege Dei, requisitam magis ad removendum obicem peccati, saltem quoad rationem voluntarij, quam positivè præparantem subjectum: Et hujus signum est, quia ubi peccatum non supponitur voluntarium propriâ voluntate hominis recipientis Sacramentum, non est necessaria talis dispositio; & in aliis sufficit, quod præcesserit, & virtute perseveret, hoc enim satis est ad removendum voluntarium peccati.

Dico 3. Attritio illa, si physicè duret jam formata, meretur de condigno aliquem gradum gloriæ

gloria ultra totam illam, quæ correspondet gratiæ Sacramentali; & etiam aliquem gradum gratiæ ultra totam Sacramentalem; nunquam tamen primam gratiam, neque primam gloriam. Probatur prima pars, quia actus ille est supernaturalis, hominis iusti, & jam dignificati per gratiam; ergo est meritorius, saltem alicujus augmentivæ æternæ juxta regulam generalem Trid. cit. supra.

260. Probatur secunda pars, quæ sequitur ex prima, nam gloria non augetur, nisi auctâ gratiæ; neque potest quis mereri gradum gratiæ, nisi mereatur proportionatum gradum gratiæ, aut hic supponatur jam habitus; sed ibi non supponitur talis gradus gratiæ, ut constat, ergo cadit sub idem meritum. Probatur tertia pars, quia homo per contritionem formatam, etiam si duret post primum instans justificationis, non meretur de condigno, neque primam gratiam, neque primam gloriam ipsi primæ gratiæ respondentem; ut supra probatum est; ergo neque illas sic merebitur per similem attritionem, de qua idem dicendum est, quod de contritione.

SECTIO XIV.

Quanam alia dona gloriæ possit justus mereri de condigno?

261. **D**ONA gloriæ possunt esse in duplici differentia; quædam enim pertinent ad essentialem beatitudinem, & ejus augmentum; quædam verò ad beatitudinem accidentalem: de primis satis jam dictum in superioribus: solum hinc addendum superest: primum, ab aliquibus fuscè disputari, quid sit gratia consummata? Secundum, in quo differat à gratiâ viæ? Tertium, utrum cadat sub meritum? Cum autem sit res facilis, breviter illam jam expendimus. Dico igitur, gratiam habitualement in patria nihil physicum, & reale accipere, ratione cujus dicatur consummata, nisi fortè habitum luminis gloriæ, per quem intellectus complectitur ad producendam Visionem Beatam: accipere tamen aliquas denominationes extrinsecas in ordine ad volitionem extrinsecam Dei: Prima, quod jam sit incapax novi meriti: Secunda, quod sit incapax demeriti, sive peccati; & utraque convenit etiam gratiæ hominis existentis in Purgatorio: Tertia, quod careat omni culpa, etiam habituali, & omni reatu ad pœnam, quæ denominatio est propria hominis existentis in Cælo; has verò denominationes meretur homo de condigno casu, quo in gratia decedat, sicut diximus mereri ipsam Beatitudinem, in cujus merito illæ includuntur.

262. Quod attinet ad Beatitudinem accidentalem, quæ consistit in scientiâ per se infusâ, in gaudio de Deo, in aliisque dotibus animæ beatæ; & corporis gloriosi, ac sensuum voluptatibus, de quibus suo loco, cum egerimus de ultimo fine, seu Beatitudine hominis supernaturali: Dico 1. Hujusmodi Beatitudo accidentalis ut condistincta ab essentiali non cadit sub meritum de condigno. Ita P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 29. num. 9. P. Arriaga tomo 4. d. 56. num. 51. & alii. Probatur, quia condignitas actûs meritorii tota occupatur in promerenda Beatitudine essentiali; ergo non potest simul aliquid aliud promereri; siquidem uni merito unum respondet præmium adæquatum.

263. Dicendum igitur est, hanc beatitudinem accidentalem dari, aut ex liberalitate Dei, aut per mo-

dum passionis, sive proprietatis consecutæ ex Beatitudine essentiali; posseque dici cadere sub meritum condignum secundariò, & mediatè, quatenus ipsi Beatitudini essentiali est annexa; sic enim si quis condignè mereretur productionem essentiæ hominis v. g. etiam secundariò, & mediatè diceretur sic mereri ejus passiones, & proprietates, quæ ab ipsa essentia hominis dicuntur emanare; idèdque supra diximus ut condistincta ab essentiali.

Dico 2. Homo per nullum actum bonum meretur Beatitudinem accidentalem, per quem etiam non mereatur essentialem. Ita P. Soar. cit. cum Scot. in 4. dist. 12. quest. 1. art. 2. §. Ad hoc dico. P. Arriaga cit. num. 52. Probatur, quia actus hominis iusti, aut est aliquo modo supernaturalis; aut naturalis: Si primum, eo ipso meretur augmentum Beatitudinis essentialis: Si secundum, nullam Beatitudinem, etiam accidentalem meretur, utpotè improporionatus; ergo &c.

265. Confirmatur, quia justus non meretur de condigno gloriam accidentalem, nisi per actum supernaturalem ex fide, & gratiâ profectum; sed per talem actum meretur præmium essentialè, ut constat ex supra dictis; ergo nunquam meretur gloriam accidentalem, quin etiam mereatur essentialem. Probatur major, quæ sola indiget probatione, quia gloria accidentalis est supernaturalis; sed nullum est meritum præmii supernaturalis, nisi per gratiam auxiliantem, ac proinde per actum aliquo modo supernaturalem, ut contra Semipelagianos supra diximus, & probavimus; ergo &c.

266. Objicies 1. Justus in cælo habebit specialem voluptatem propter actus bonos naturales elicitos in via; ergo per illos merebitur augmentum gloriæ accidentalis, sine essentiali. Respondeo negando consequentiam: illud enim non est propriè mereri augmentum gloriæ accidentalis per tales actus, sed dare occasionem, ut illa augeatur, aut per modum proprietatis debita ipsi Visioni Beatæ, aut certè emanantis ex speciali Dei volitione, & liberalitate

267. Objicies 2. Contingere potest, ut quidam simplex Confessor habeat majorem gloriam essentialem, quàm Martyr, Virgo, & Doctor, licet hi obtineant majorem gloriam accidentalem consistentem in quadam speciali aureola Martyrii, Virginitatis, & Doctoratus; ergo hi merentur specialem gloriam accidentalem, non ut annexam essentiali, sed per se ob suam perfectionem. Respondeo negando consequentiam; tales enim aureolæ dantur ex speciali quadam dispositione, & liberalitate Dei, & non ex merito aliquo de condigno, sed ad summum de congruo; quod optimè stare potest cum eo, quod Beati illis fruituri minorem habeant gloriam essentialem; licet habeant majorem accidentalem, quàm alii, qui talibus aureolis carent: sic enim aliquando inferior substantia corporea habet aliquam virtutem connaturalem accidentalem singularem, & mirabilem, quam tamen non habet alia res in essentia perfectior.

268. Objicies 3. Aureola Martyrii datur, non tam propter actum internû, quàm propter externum; sed actio externa non auget præmium essentialè, cum non augeat meritum, ut supra diximus, in ordine ad præmium essentialè; ergo illud auget in ordine ad præmium accidentale; ac proinde datur meritum præmii accidentalis sine essentiali. Respondeo concedendo cum communi, aureolam Martyrii non respondere actui interno; licet perfectò, nisi jungatur cum externo; talem tamen aureolam non dari præcisè, ut præmium merito-